riam fortius, ut sic dicam, imprægnandam, plurimum posse. Sola *Certitudinis* ratio habenda est, quantam materia capit. Certitudo autem, etiamsi rigorosissimus definitor accedat, nihil aliud esse comperietur, quàm *Claritas veritatis*, ut ita vel ex ipsa certitudinis notione sequatur orationis philosophicæ, quippe certitudinem quærentis dotes esse claritatem & veritatem. Et verò manifestum est veritatem propositionis notam esse non posse, nisi significatio vocabulorum sit nota, id est (per definitionem claritatis) nisi sit clara.

Claritas, est non verborum tantùm, sed & constructionis. Nam si constructio clara non sit, notum erit quidem, quid verba significent simpliciter & per se sumta, sed non quid significent hoc loco ad cætera relata. Sed in obscuritate constructionis oratores potius & poetæ, quàm philosophi nostri peccare solent, nobis igitur est de vocum per se sumtarum potius claritate dicendum. Claritati, seu notitiæ significationis, duo vitia opposita sunt, *obscuritas*, & ut sic dicam nimia claritas seu *ambiguitas*, illic nulla significatio nota est, hic plures simul apparent, sed quæ sit vera incertum est. Porro claritas vocabuli ex duobus oritur, vel ex *voce per se*, vel ex *circumstantiis orationis*. Claritas vocis per se rursus duos habet fontes: *originem* & *usum*. Origo autem vocis tandem in duo resolvitur *usum* radicis, & *analogiam* ex radice factæ derivationis. Usus est significatio vocis communiter nota eadem linguâ utentibus. *Analogia* est significatio flexionis seu derivationis itidem nota eadem linguâ utentibus v. g. Vocis *Fatum*, usus vel significatio nota est necessitas eventuum; ejusdem origo componitur ex usu radicis & analogia: radix est for, vel fari, Radicis usus est: dicere; analogia fati est: *atum*, qua in lingua latina significatur participium perfectum passivum Radicis, ut ita origine fatum idem sit quod dictum. Plerumque autem usus ex Origine tropo quodam ortus est, quod & in exemplo proposito patet, nam origine fatum idem est quod dictum, usu idem est quod necessariò eventurum; videamus igitur cujus dicta sint necessariò eventura, & manifestum est ad Dei solius dicta rem sequi.